volet, brevi sub vindemiæ ferias; licet has quoque rectius
collocare possem et vellem. Tantisper igitur, ut judici-
um suspendas, ideoque ut illustrissimus Princeps vester
faciat, des operam, etiam atque etiam rogo. Hæc nobilissi-
me Domine, paucis nunc significanda duxi. Deum Patrem
misericordiarum oro, ut illustrissimum vestrum Prin-
cipem, Te et omnes vos in fide veritatis suæ magis ma-
gisque sanctificet. Mea quæ sunt studia officiaque ti-
bi promtissima consecro. Vale in Domino. Heidel-
bergæ 12. Augusti 1609.

D. Johanni Chrzimowski Seniori Russiæ S. 97.

Salutem in Domino Jesu!

Terras tuas honorande frater accepi, unas mense Majo,
alteras ex præsenti mercatu, ad quas tibi cum sim debitor,
expediam me, ut potero, brevissime. Non me solum, sed et Dn.
Consiliarios, quibus tuas monstravi, admodum exhilara-
vit, quod primis tuis de novis in Podolia cœtibus Eccle-
siæ orthodoxæ incrementis, necnon de Scytharum quorun-
dam ad fidem Christianam accessione nunciasti. Utinam
ubique regnet Christus! et præmia vos quidem accipietis Dan. 12.
promissa iis, qui multos ad justitiam converterint. Ser-
vet verò Deus Ecclesiæ suæ et Reipublicæ Generosos Dominos,
Johannem et Andream fratres Potocios, illum Pa-
latinum Braslaviensem, Capitaneum Camenecensem, istum
Castellanum Caminecensem, Podoliæ pincernam etc: qui li-
teris suis humanissime scriptis jam pridem benevolen-
tiam in me singularem testatam fecerunt, et quorum
cum virtute fama insignis per Germaniam nostram
inclaresit. Digna res tantis Heroibus, quæ in fastos
ad sempiternam memoriam referatur. De exhortati-
one vestra Christiana quid factum sit, prius intelle-
xisti. Exempla 90. elegantissime typis descripta sunt,

quorum unicum apud consiliarium amicum mihi vi-
dere licuit. Asservantur enim diligenter, ne in ma-
nus aliorum deveniant, donec judicia exterarum
Ecclesiarum cognoscantur, quae in dies expectantur. Ea-
res sola moram hucusque affert. Eventum ergò expecta-
bitis patienter. Magni moliminis res est. Utinam
votis piorum adspiret Dominus! Certè Lutherani
pedibus manibusque reniti publicis scriptis, quae
his ipsis nundinis evolarunt, pacem dissuadentibus, non
cessant. Adeò causae et conscientiis ipsorum pax
inimica est atque invisa. Beatos verò nos pacificos.
Morsus quorundam Polonorum cuculorum, qui faci-
litatem N. in calumniam rapuerant, si ille non effu-
git, nihil mirum. Regium est, cum bene feceris, malè
audire, inquiebat ille. Communicavi rem cum Ma-
gnifico Cancellario. Tibi quidem pro judicio gratias
agimus. At rarioribus profectò vestratum ad gra-
tiam N. exinde aditus patebit. Si vitia quaedam per-
viderunt homini illi, sine quibus nemo nascitur,
at quibus Magnates vacare plerumque miraculum
est: cur virtutes eximias non potius observarunt!
Ad alteras venio, quibus exhortationem vestram i-
terum urges. Accepisti rem omnem. Negotium Ge-
nerosi Domini Dunikowski fideliter curavi: sa-
tisfactum mercatori est. Vasa duo Francofurtum
advecta ad mercatoris Cracoviensis Andreae Curra-
di Procuratorem, à quo ille furtu tecta brevi acci-
piet. Excusabis verò me illi, quod non scripserim.
Variè distrahor et occupor. Satis sit ei, quod pro dan-
da supellectilem recipiet, cum plurima à me salutis com-
precatione ac votis, ut in aula regia hoc est in Babylone,
inter spinas conscientiam illaesam servet.

Accedo ad postremas κατλασικάς illas tuas nimis, mi frater. Doleo quidem, filium perditionis adeò sese adversus Christum efferre in regno vestro, ut coetibus orthodoxis exitium moliri, vobisqz à muniis publicis aditum praecludere non cesset. Num verò isthaec nunc primum apud vos; et num apud vos solos machinatur! Certè jampridem et ubiqz sibi similis est Satan. Regnavit tamen, et regnat, et regnabit Christus ad dextram Patris, etiamsi aulis exulet. Sint cum eo dignitates et larvae mundanae in maledictionem, si propter eas bestia vobis sit adoranda. Quid enim maneat illos adoratores, habemus Apoc. 14. v. 10. 11. quem locum mi per admodum pertractavi. Quod Loiolitae vobis quaestionem vocationis movent, antiquum est: quod et Johanni, et Christo, et Apostolis evenit. Anno 82. praeterit seculi Laur. Arturg Posnaniensis Jesuita idem faciebat. Hunc verò Anthonius Sadeel, vir eruditus, illustri Baronum genere natus, libello de legitima Ministrorum Evangelicorum vocatione solidissimè scripto repressit, quem in opusculis haud dubiè habetis. Post eum Anno 87. Petrus Tyraeg Jesuita Moguntinus eandem fabulam agere coepit. Opposuit huic Tossanus noster p. m. Theses Apologeticas cum Epistola ad eundem edita, cum Examine novo Theses Apologeticas ille aggressus esset, non refutasset. Quatuor ille Demonstrationes tunc nostrae vocationi opposuit: sed ineptissimos paralogismos esse demonstratum tunc fuit. Decem jam vester Loiolita Smigletius demonstrationes vobis objicit. O caput hellebori dignum! Demonstrationibus ejusmodi elementarios tyrones forte terrere: vos certè

viros eruditos et cordatos ideò nihil lædere posse, ut ridiculo exponere hominem ridiculum facile queatis. Nulla est enim, quæ non manifeste principium petat. in 1. 2. 3. 4. 6. 7. 8. 9. vel sunt 4 termini, vel assumtio est falsa: cujus probationes perpetuò petunt τὸ ἐν ἀρχῇ. Quinta habet majorem falsam, et eo quidem sensu, quo illi conficiendi verbo utuntur. Decima majorem habet particularem vel falsam, ex quâ citius ipsos mirabiliarios conficias esse ministros Anti-Christi, et Pseudo-prophetas, quam ille nobis vocationem legitimam ademerit. Itaq; non Gordium, ut vocat, sed scirpeum nodum ostentat ille Meridarpax. Facile tibi gratificabor suo tempore, ut in publicam disputationem stramineas has demonstrationes adducam. Nunc verò ordo meus non est, postquam hoc anno quater disputationes absolvi: nec occupationes facile ferunt. Habeo enim in manibus duo alia anti-Jesuitica, quæ brevi lucem videbunt. Faxo autem otium nactus ut cum meo responso ad nugas Smiderianas simul prodeant uno libello Sadeelis, Tossani, et si quæ erunt alia id genus scripta, quo Herculi isti larvato clava excutiatur. Vale mi frater in Domino, et ex me amicos atq; fratres omnes saluta. Heidelbergæ 17. Sept. 1609.

98.
D. Pareus

D. Jacobo Fabritio S. Theol. Doctori, Dantiscanæ Ecclesiæ Orthodoxæ Pastori et Gymnasij Rectori dignissimo, salutem à Domino Jesu.

Etsi triste fuit, Vir Clarissime, de obitu D. Keckermanni communis Amici, quanti ingenii viri! cognoscere. admodum tamen gratam mihi rem fecisti, quod nimitim singula de beato ejus excessu tam diligenter ad me perscripsisti. Benè ille quidem tam citò cursum consummavit, ac pelago miseriarum vitæ hujus emersus ad supremæ felicitatis portum enavigavit. Beati enim, qui in Domino moriuntur. At nimis citò tanti

nos amici